

æqualiter à duobus tropicis distante. Quod haud accideret, nisi terra sub æquinocciali circulo iaceret. Si deinceps secundo loco terram constituas, fiat ut nullo horisonte cœlum in æquas diuidatur partes, nisi eo cui axis mundi perpendiculariter incidet, aut in cuius superficie est centrum mundi. Quare & hunc situm prædicta incōuenientia comitabuntur, hoc quidem in superadiecto, quod stellarum magnitudines iudicio quidem sensus uariari oporteat, multifariam enim ab oculo distantiam affert diuersus stellarum supra horizontem situs. Quod si tertio situ locatam opineris terram, commemorata omnia promiscuè accident, sed & eclipses lunares non semper contingēt in oppositione luminarium, neque necessariò ueniēt lunares eclipses Sole & Luna secundum diametrum mundi oppositis. Cum itaque nihil horum appareat, nullus trium adductorum situm terram continebit. Reliquum igitur ut in medio mundi resideat. Possumus præterea idem directâ argumētatione confirmare. Videmus enim grauiâ libere secundum mundi semidiametrum descendentiâ, superficiem terræ ad angulos æquales incidere ubicunque fuerimus. Linea autem superficiem sphericæ secundum angulos æquales occurrens, per centrum eius cōtinuata trāsit, omnes igitur quas mundus habet diametros intra terram se secare patulum est. Punctus autem huiusmodi sectionis diametrorum, centrum mundi necessariò habet, quare centrum mundi intra terram reperiri, ideoque terram in medio mundi sitam, liquebit.

*Terram respectu firmamenti, puncti uicem habere. Conclusio IIII.*

**V** Bicumque enim existentibus nobis in superficie terræ & considerantibus stellas in diuersis locis, non uidentur magnitudines neque earum inter se distantia uariari, unde & eas æqualiter à terra remotas haberi comprobatur, sensu id estimante. Terra igitur est centrum sphaeræ, & ideo puncti sortietur officium. Idem accidet terræ ad sphaeram solis comparatæ, quod & alijs comparitur indicijs. Nam corpora in centrâ instrumentorum circulariū posita, umbras proijciunt eas longè motas, quæ & sol ipse radiâs motu primo circumfertur. Ex regularitate itaque motus umbræ, quam sensu deprehendimus, elicitur solem circa centrum instrumentorum regulariter moueri, ideoque centra huiusmodi instrumentorum centri mundi, circa quod motus primus regulatur uicem obtinere. Cum itaque terræ crassitudo nihil in his rebus immittat uarietatis, uerum proposuisse uidemur. Præterea horizon oculo in se existenti, dimidiū cœlum occultat, dimidiumque uideri sinit. Quod profecto nulli superficiem planè, nisi per centrum sphaeræ transeunti proprium est. Aliter autem eueniret, si terra respectu firmamenti haberet magnitudinem.

*Quod terra localem motum non habeat declarare. Conclusio V.*

**E** X superioribus constat, terræ non accidere motum rectum, sic enim mediū mundi relinquere cogent, quod ante hac prohibuimus. Oporteret denique terram uelocissimè moueri mole sua id agente. Vnde reliqua